



# Disputatio philosophica inauguralis de interitu civitatum

<https://hdl.handle.net/1874/341857>

24

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
INTERITU  
CIVITATUM,

QUAM

FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque Inclita in Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, & Subtilissimā  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*Pro DOCTORATUS in PHILOSOPHIA Gradu, & ARTIUM  
LIBERALIUM MAGISTERIO, omnibusque prærogativis  
rite ac MORE MAJORUM consequendis,*Modesta & publica Philosophantium disquisitioni & censura exponit.*  
ISAAC OOSTERLAND, AMSTEL. BAT.  
*Ad diem 16. Decembris, hora locoque solitis.*

ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc loc LXXXVI.



# PROOEMIUM.



Vemadmodum non rarò  
mortales gravioribus la-  
borantes morbis quam  
brevisimò etiam tempo-  
ris spatiò ante diem qua-  
si extingui , ac violentâ morte rapi-  
cernimus ; ita quoque ab omni aeo  
quamplurimas optimè licet ratione con-  
stitutas Civitates morbis pestiferis ante  
senium quasi ac prater atatis cursum  
devastatas omnino atque subversas esse

A docuit

docuit eventus. Tam mortiferas Rebus-  
publicis morborum caussas investigare  
& expromere fert animus. Temera-  
rium nimis me promittentem forsan  
quis diceret, me juvenem infortunata  
Rerump. velle describere sydera : opus  
quippe hoc mehercule Cæsaris acumen  
Nestoris atatem postulat : nemo quippe  
nisi sciens, nemo nisi expertus de tantis  
rebus scriberet ; animo dum hac mecum  
revolvo, desistam ne hic an ulterius  
progrediar, dubia mens hæret. Verum  
quid diutius quasi somniō immorer ?  
Quid inde mihi opprobrii ? Experiar;  
scopum forsan pertingam ; sin minus,  
In magnis voluisse sat est.

D I S-

## 4 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

derum influentiis derivant; verum Fanaticos istos homines, ac fallaces auruspices quam longissimè de veritatis tramite deflectere, in peculiari disputatione de *Eversionis Rerum Faro Astrologico* habita, demonstravimus, nugs idcirco hisce non est quod amplius inhæreamus.

## I V.

Sacrorum Mysteriorum Antistites exclamant iram Dei ob hominum peccata Imperiorum esse ruinam, hanc vero atrociter, in peculiari disputatione de *Eversionis Rerum Faro Astrologico* habita, demonstravimus, nugs idcirco hisce non est quod amplius inhæreamus.

(a) Amos cium scelerum esse penas doctrina celestis confirmat: (a) Ecce oculos Domini Iehovi contra Regnum peccans, ut perdam ipsum à superficie terre. Pharetram multifariis telis completam, quibus in sceleratissimas gentes exitiosam exercet vindictam, ac totas omnino Republicas propter immania flagitia subvertit, gestat Deus. Ignibus cælitus dimisis Sodoma & Gomorrah ob nefandas libidines deletæ sunt.

— Tardè licet

Veniat, venit tamen horrido pede, cælum  
Delapsa tandem pœna.

Quid de Carthaginé, quid de Troja, quid de Tyro, & aliis sexcentis dicam? nonne ob nefaria scelera subversæ sunt?

(b) Virg.  
lib. 3.4  
Æneid.

(b) — Ceciditque superbum  
Ilium, e' omnis humo fumat Neptunia Troja.

Integras aliquando nationes pestilentia depopulatur. Pestem antecedere, aut sequi fames solet, quæ ipsa quandoque gentium reliquias depascitur. Solum ipsum ac aqua peccatis in Civitatum ruinam ac perniciem moventur atque irritantur. Veritatem dicti tot Civitatum interitus confirmavere. Duodecim Civitates Asiæ terræ motu, urbes Græcię deluviō extinctæ sunt. Quid multis? Invalida etiam atque abjectissima animalcula ira Dei propter abominanda facinora in populorum exitium armat. (c) Ita nonnullæ Resp. a cuniculis, talpis, ranis, locustis, muribus, aut etiam à serpentibus destructæ fuere. Infinitam iram Dei

(c) Plin.  
lib. 8. c. 29.

# I N A U G U R A L I S . 5

Dei eversarum Civitatum seriem enumerassem; nisi me hic Politicum profiteri, non vero Theologum, cogitassem, cuius est inquirere in Irati Dei caussas, simulque populo horrenda sua ac detestanda demonstrare delicta, quibus jure merito irascitur, ac nisi illis desistant, in totum se istum populum extirpatum minatur Deus.

## V.

• Politicus vero primam hanc Civitatum Interitus causam accuratissimè non considerat, ubique tamen præsupponit everiones Imperiorum Regnorumque ruinas a providentia divina dependere, nisi cum monstro illo horrendo, ac Doctore vitorum sceleratissimo (d) Machiavello, ejusque aseclis sub quorum sceleribus terra gemit, fatô omnia, jam multa ante secula a Christianis & aliis viris explosò, dirigi velit. Politicus enim Civitatum interitus nullas potest assignare caussas, nisi quæ ex præceptis ac prudentiæ suæ regulis fluunt, (e) nisi saltum facere, & terminos suos transgredi velit.

(d) Lib. 2.  
Cap. 29.  
de Rep.  
(e) Arnis.  
lib. 2. c. 2.

## V I .

Damna Reip. exitiosa circa quæ prudentia Politici versatur, duplia sunt: vel enim ex ipsa Civitate nascuntur, & in visceribus harent, vel aliunde extrinsecus scilicet inferuntur. Hanc partitionem etiam (f) Polybium intendisse videtur, cum ait: *Intestinos hostes difficilius vitari, quam externos, & vium ubi vocem Hannibal is refert: Nulla magna Civitas diu quiescere potest, si foris hostem non habet, domi invenit. Quibus clare atque lucide explicatis; cum oppositorum eadem est scientia, & contraria curantur contrariis, haud difficile erit ingenioso lectori de Remediis judicatum.*

(f) Lib.  
(g) Lib. 30.  
c. 44.

## V I I .

In Civitatis visceribus damnum atque perniciosum nascitur malum,

## 6 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

malum, quod optimæ etiam licet constitutæ sensere Resp., Discordia nimurum, certum interituræ Reip. argumentum, unde Poëta :

— *Discors in se Regnum durabile non est.*

Profecto quis enim posset esse spes diurnitatis ac potentiae, ubi summa est animorum distractio, ubi Reip. membra, quæ nisi consensu salva esse non possunt, factionibus inter se se divisa, seditionibus, atque bellorum civilium furore æstuant? Nam vires opesque civium hoc pacto facilius franguntur, & externis populis occasio præbetur dilatandi Imperium, quam si sapient, negligere non solent. Diligenter admodum hac occasione uti astutissimi Principes sciunt, qui cum de hisce, vel illis Civitatibus suis Imperiis adjiciendis cogitant (instar Medæx, quæ, (ut vellere aureo tanto commodius potiretur) serpentium dentes disseminavit unde enati sunt integri viorum armatorum manipuli, qui vulneribus mutuis se conficiebant) inimicitias, atque dissensiones inter Rerump. membra ferere & aleresolent, donec mutuis discordiis attritas vires sine negotio occupent. Optimè hanc artem calluit subdolus Macedonum Rex Philippus, qui cum totam Græciam subjugare decrevisset, ortas inter Civitates inimicitias, contentiones atque bella civilia alit atque fovet donec mutuis tandem dissidiis atque cædibus dilaceratas earum atque enervatas vires subegit, & ut (h) *Justinus* inquit: *Victos pariter victoresque subire Regiam servitutem coegerit.* Cum tantas post se Rebusp. exitiosas trahit consequentias Discordia, merito quis miretur, Politices inveniri Doctores, qui dissensiones atque excitatas inter cives seditiones, felicitati ac promovenda Reip. saluti inservire censeant. Crassi forsan illis apud (i) *Ciceronem* favet sententia, seditiones nonnullas tanquam Reip. utiles & necessarias commendans. Apprimè bonus noster (k) *Machiavellus* seditiones atque intestina dissidia, Pistorenium exemplò commendat, de quibus in proverbio est: *Civitatem eorum factionibus retinendam esse*: & Venetorum exemplò, qui studiò factiones Guelficas & Gubellinas in urbe sua foverint; (l) Immo

(h) lib. 8.  
c. I.

(i) lib. 2.  
de Orator.

(k) cap. 20.  
de Principe.

(l) Mach.  
lib. 1. Dif.  
c. 4.

I N A U G U R A L I S. 7

mo quam maximè etiam discordias domesticas commendat, quod inde bonæ nascantur leges. Verum fallaciam accidentis illos committere nemo non videt : simili quippe modo pravos mores ac scelerata laudare quis possit, quod bonis legibus caussam præbeant. (m) *Quid tum? Quis inde efficiet ut mali* (m) Anti-  
mores boni sint, id est, lucem tenebras, aut tenebras lucem vo- mach. 1. 3.  
cemos? Nemo est tam Imperitus, qui sciatur leges a legumlatori- Theor. 31.  
bus scriptas, & latas ad mores corrigeandos & castiganda vita. Ubi nihil contra morem peccatur, ubi nulla libido est, que coërcetur, ibi nullis legibus opus est. Sicut enim morbos antea conuenit esse cognitos, quam remedia eorum: ita cupiditates prius na- (n) Cato. (n) Apud  
ta sunt, quam leges, qua iis modum facerent, ut ait (n) Cato. Liv. lib.  
Gangrænam merito, perniciem atque pestem Civitatum esse 34.  
discordias civiles ipsum Veritatis Os docet, cuius hæc vox est: (o) Matth.  
(o) Omne Regnum dissidens adversus se vastatur: & omnis urbs, 12. v. 25.  
aut domus dissidens adversus se ipsam, non stabit. Huic haud adeo dissimilis Romani eloquentiae patris sententia: (p) *Quæ* (p) Cicero  
(inquit) *domus tam stabilis, que tam firma Civitas est, que* de Amicit.  
*non odiis atque dissidiis funditus possit everti?* Testes tot hominum strages, tot urbium rudera, totque Civitates infernalibus hisce furii subversæ, quas enumerare nimis longum foret. Quis merito mehercule monstrum illud horrendum Civile bellum, & discordias, factiones, conjurations atque seditiones ex quibus oritur, non execratur, & cogitat illud (q) Lu- (q) lib. 2.  
cani:

*Summum, Brute, nefas Civilia bella fatemur.*

Quibus nec charissimi charissimis, nec consanguinii consan-  
guiniis parcunt:

(r) ————— *Videre parentes* (r) Lucan.  
*Frontibus adversis, fraternaque cominus arma:* lib. 7.  
*Cognatasque acies.*

Immo execrandi & illi homines & sacri haberi merentur, qui civile bellum desiderant. Unde verè cecinit Græcorum poëtarum Princeps (s) Homerus:

Α'Φρι-

## 8 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

Α' φρήτωρ, ἀθέματος,<sup>Θ</sup>, ἀνέστιος θετον ικεν<sup>Θ</sup>,  
Ος πολέμις ἔραται θητίδημίς θηρυόντ<sup>Θ</sup>.

*Ille nefarius & sine gente tribuque mibi esto,  
Qui civile cupit ferrum, & execrabile bellum.*

### VIII.

Cum discordia, seu seditio Civitatibus adeo perniciosa sit,  
(t) Box- in ejus inquirere causas operæ pretium duximus. (t) Causæ  
horn. l. 1.  
C. 14. Po- sunt vel in Magistratu, vel in subditis : Magistratus quippe in  
lit. Magistratum, aut populus in populum, aut populus in Magistra-  
tum discordia ac civilium bellorum estu feruntur.

### IX.

Magistratus in Magistratum potissimum ex omnium vitio-  
rum Reginâ ambitione insurgere, qui vel primis labiis Politie-  
ces arcana gustaverit, fugere credo neminem. Imprimis vero  
illud

(v) Pil. Sep-  
tim. de Am-  
bitione.

(v) *Monstrum, horrendum, infidum, ingens, cui flam-  
meus ardet  
Fronte oculus media,*

Gravissimasturbas atque exitialia bella civilia in liberis Rebus p.  
excitat; non adeo vero in Monarchicis seu absolutis Imperiis:

(x) Box-  
horn. l. 2.  
c. 2. Polit.

(x) *Prava quippe spes aliorum ac destinationes in occupandis Imperiis, ubi unius, vel unius domus Imperium est, melius praeciduntur, quam ubi inter plures distributus est bonos Imperii, ut in Aristocraticis ac Democraticis Imperiis, quorum oculos modo semel perstrinxerit atque fascinaverit dira illa atque insatiabilis imperandi libido, stimulos illis quasi jure an injuria altiora petendi ad-  
dit.* (y) *Qui aliis pares aut inferiores sunt, superiores aliis, vel  
primi esse contendunt. Alter meritos alteri invidet honores, sue  
jacturam laudis pati, nisi crescentem alienam gloriam oppugna-  
tum eat, ducens.*

(y) Box-  
horn. l. 1.  
Polit. c. 14.

Nec

# I N A U G U R A L I S.

- (z) *Nec patiens consortis, avet clarescere sola,  
Sola coli, nulloisque in partem admittere laudis,  
Non impune aliquis se se illi comparet usquam.  
Nec consanguinius si sit, nec si pater ipse,  
Aut dulces nati : cedit cognatio fama.*
- (a) *Romanos geminos unum non cepit Regnum, quos unum uteri  
cepit hospitium.*
- (b) *Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

(z) Pil. Sep.  
tim. de  
Ambit.

(a) Cypri-  
an. in Lib.  
de Idol. va-  
nit.

(b) Lucan.  
lib. i.

Hinc Reip. salutem negligi deberi, Cœlum terræ, summaque imis permisceri, nemo non videt. In extremo nonne versata discriminè Roma fuit discordiâ Cæsaris atque Pompei ortâ ex ambitione? Quid magnum illud magni Alexandri Regnum subvertit, nonne successorum ambitio? Quid mediâ in urbe, velut in arenâ, cives commisit cum civibus, nonne ambitio? Quid suspendit feralem Syllæ Tabulam, nonne ambitio? Quid proscriptis tot procerum sub civili hastâ capita venalia, nonne ambitio? Quid denique quasi classicum cecinit, quô toties universus orbis Christianus in mutuam consurrexit perniciem, nonne ambitio? Adeo ut omni calculô majus illud (c) Thu- (c) lib. 3.  
cididis : Πάντων κακῶν αἵτια ἡ δρόχη δῆθε πλεονεξίαν, καὶ φιλοτυ-  
μιαν. Omnia malorum causa cupiditas Imperii ex ambitione.  
Hæc factionibus Civitates scindit in partes : hæc honoribus cumulat indignos, de Rep. bene meritos fraudibus & technis opprimit : hæc tot deplorandas miserorum civium strages procurat, nec quiescit ; nisi mutatum prius bellis civilibus Reip. statum viderit, vel potentioribus exsanguis atque defessa prædæ evaserit.

## X.

Populus in populum insurgit, vel ex discriminè opum, & quorundam extremâ egestate, vel ex diversitate sacrorum & Religionis.

## B

## XI. Sum-

## 10 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

## X I.

Summam concordiam pacemque inter illos præsertim vige-re, qui iisdem sacris, eidemque religionis cultui inserviunt, omnibus in confessò est; verum è contrariô nil magis concor-diam, pulcherrimumque illud vinculum nexumque animorum mortalium, quam religionum diversitatem dissolvere, tristis toties eventus docuit. Quæ inde furiarum miserè dissidiorum civium faces accensæ sunt, qui bellorum strepitus, & quæ tot miserorum strages editæ; immò etiamnum eduntur;

- (d) Virgil.  
lib. 2. Aeneid.
- (d) ——— *Animus meminisse horret, luctuque refugit.*  
Has bellorum civilium turbines, quibus innumerabilis mortali-  
lum numerus absuntus, Gallia non absque gemitu & ejulatu  
vidit; vidit Anglia, Germania, Polonia, Hungaria, Bohe-  
mia; eheu! si vidissent nec amplius viderent. Verum ab ex-  
teris quid retrahamus exempla? Cum vel patria nostra, quâ  
dulcius natale solum datur nullum, haud raro schismatum ho-  
rum aculeos heu! indignè perpessa fuerit. Cum sævissimâ ac  
furiali persecutione, nec non dirâ illâ ac infernali hispanorum in-  
quisitione, (e) quâ conscientiis eripitur libertas: quâ non suade-  
(e) Wendil.  
Polit. 1. 3.  
C. 1. Th. 8.  
(f) Horn.  
in Dissert.  
ad Polit.  
Boxhor.  
I. 1. C. 7.  
(g) Horn.  
dicto loco.  
(h) Reid.  
lib. 1. Belg.  
Annal.
- (f) Nullus profectò in Politicâ perniciosior invenitur  
error, quam ille hispanorum, hereticos, seu dissentientes in Reli-  
gione esse comburendos vel patibulandos, secundum barbarum syllo-  
gisum, quem Vargas hispanus truculent homo ingenii, sum-  
mæque imperitiae de cunctis Belgio inhabitantibus (g) semper  
recitat: *Hæretici fraxerunt templa, boni nihil faverunt contra,*  
*ergo debent omnes patibulare.* Hic unicus sane error, (h) qui  
quadraginta annorum spatiò hominum millia plus quam centum  
flammis, laqueâ, aquis haustâ, variisque ob Religionem tormen-  
(i) Horn.  
dicto loco.  
(i) Regi Hispanie tantum damni instulit,  
quantum gravissimò 80. annorum bellò accipi potest. Tum tu-  
multu & gravissimâ illâ inter Reformatos & Remonstrantes  
dissen-

I N A U G U R A L I S . II

dissensione, de quâ non imprudenter quis pronunciavit, si unquam in extremô versata discrimine patria nostra, certè tum temporis fuerit. Et quid mirum, hisce morbis & symptomatibus infectis Rebusp. extremum imminere exitium? Hostis enim & vis externa (ut jam antea diximus) eô minus reprimi valet. Deplorandum idcirco inter nostros, dum hæc ita sint, passim reperiri non nullos eruditos quidem, eò tamen animô imbutos, ut vel animi acerbitate agitati, vel inani gloriâ vexati, non necessariis disputationibus vulgò, aut inutilibus sacram scripturam torqueant & retorqueant, & inde quid tandem fiet, nimis citò forsan exitus docebit.

X I I.

Gravissimas quoque non raro turbas inter cives ob discrimen opum & extremam quorundam egestatem esse concitatas quamplurima, si velimus afferre, exempla, docerent. Quid enim certius est, quam tot esse pro turbis ac bellis civilibus vota quot sunt hominum res attritæ, & decoctæ fortunæ. Unde illa (k) Lucani observatio, de statu Imperii Romani, (k) Lib. II paulò ante bellum civile:

*Hinc usura vorax, rapidumque in tempore fœnus;  
Et concussa fides, & multis utile bellum.*

Divitiae mortalium oculos, æque ac honores, perstringunt:

(l) *Nam facilius est pauperi contemptum effugere, quam divitiæ invidiā.* (l) Seneca.  
(m) *Neque animo equo pauperes alienam opulentium intuentur fortunam;* verum quamvis modò oblatam spoliandorum locupletum occasionem avidè atque audacter arripiunt. — *Nescit plebs jejuna timere.* (m) Prob. in Chabr.

(n) *Pauperes, inopes, egeni, audaces sunt, & odio rerum suarum mutare omnia student, & privata incommoda & mala Reip. malis tegere cupiunt, publicaque ruinâ potius quam suâ perire malunt.* (n) Althus. cap. 35.

## 12 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

(o) Silius  
ital. lib. 13.(p) De bel-  
lo Catilin. Nam (ut præclare (p) Salustius scripsit) semper in Civita-  
te, quibus opes nulla sunt, bonis invidunt, malos extollunt; ve-  
tera odere, nova exceptant; odio suarum rerum mutari omnia stu-  
dent; turbâ, atque seditionibus sine curâ aluntur; quoniam ege-  
stas facile habetur sine damnô.

Et sane quis non videt, si in hoc fatali Rerump statu Indi-  
gentia, ac res accisæ primorum hominum (qui diligenter  
admodum hanc occasionem captant, ut absque opprobriô, ut  
potent, ex inopâ & magnitudine æris alieni emergere possent,  
& magnas opes parvô labore querere) cum summâ plebis in-  
opâ & paupertate conjungantur, periculum imminere gravissi-  
mum, & quam maximè Civitates ad seditiones & bella civili-  
lia esse dispositas. Commotiones enim & turbæ, quæ à ven-  
tre ortum habent, pessimæ. Quamobrem & Cato major in-  
maximâ annonæ caritate blandam præter naturam suam oratio-  
nem ad populum Romanum habuit, cuius exordium fuit:  
+ Difficile est, *Quirites*, ad carentem auribus ventrem verba facere.

\* Plutar.  
in Cat.  
maj.

## X III I.

Populus in Magistratum fertur vel ob contumeliam sibi à  
magistratu illatam, vel ob contemtum magistratus, vel deni-  
que ob læsa à Magistratu Privilegia.

## X I V.

Prima ac potentissima insurgendi adversus Magistratum ac  
rebellandi causa est contumelia, quæ gravis est injuria, in cor-  
pus, vel in subditorum bona. Utrumque illud vitium, (quod  
gravissimos sœpissimè motus, coniurationes, ac detestanda civili-  
lia bella concitavit) præ aliis imprimis Monarchis familiare, qui  
cum altissimô locô positi & quasi supra omnem fortunæ aleam,  
(ut sibi persuadent) illatis nimis præ superbiâ superciliis, quid-  
vis sibi licere arbitrantes, non plebem duntaxat; sed vel gra-  
vissimos

vissimos s̄epissimè ac magnos viros, factis, verbisve contumeliam afficiunt, (q) qui cum potentes sunt, magnosque spiritus gerunt, insue- (q) Cont-  
ti contumelia, non facile amittunt ultionis occasionem. (r) quare non zen. lib. 9.  
immeritò Cicero (cum contumelia plus doloris infert, quam (r) ad At- c. 8.  
contemptus, qui Lysandrum tamen & alios viros ad ineunda ad- tic. lib. 2.  
versus patriam Consilia incitavit) de CN. magno suspicatur : Epis. 21.

*Timeo*, inquit, tam vehemens vir, tamque acer in ferro, &  
tam insolens contumeliae, ne omni animi impetu, dolori & ira- \* Cic. lib.  
cundiae pareat. \* Habet enim quandam aculeum contumelia, quem 3. Ac us:  
pati prudentes ac viri boni difficillimè possunt. Quam noxium at- in Ver.  
que perniciosum sit Reip. quieti, magnos viros vel contume-  
liosis dumtaxat verbis excipere, exemplò suō Narses docuit,  
qui eunuchus erat, verumtamen (ut inquit (s) Puteanus) (s) lib. 2  
dignus Italiam erat, qui tam clementer ac pie praeerat. Hic in- Hist. Barb.  
quam Narses Longobardos in Italiam duxit, propter contu-  
meliam sibi a perquam lascivâ Justini secundi Imperatoris uxo-  
re Sophiâ illatam, quæ revocari eum ab Italiam procurratione  
curaverat, additò hoc opprobriò, daturum se illi convenientius  
in aulâ múnus, nimirum ut lanas carpat, & telam inter mu-  
llieres texat. Quam contumeliam ac probrum hisce exceptit  
dictis: (t) *Recte*, inquit, & ego telam contexam, quam nec (t) Putean.  
ipsa nec vilis ejus maritus, qui a fœminâ regitur, retexere possint: lib. 2 Hist.  
idque vocatis in Italiam Longobardis, egregiè præstítit. Si  
contumeliosa dicta generosum pectus ad vindictam adeò stimu-  
lant, quid facta ergo? \* *Sensit* hoc Franciscus Rex Gallie, conlu- \* Schoock  
dens aliquando cum Carolò Borboniò pilâ minori. Inuentibus ad- lib. 1. cap.  
stabat desuper Madame de Estampes concubina Regis, que ut Re- 24. de Disc.  
gi gratificaretur, perpetuis sannis Borbonium excipiebat, quarum Domest.  
impatiens generosi Principis animus, libidines scortio objectabat, &, uti compesceret linguam, bortabatur. Rex injuriam ut interpre-  
tabatur amasia sua factam, colophô Principi impactò vindicavit.  
Borbonius plenus justissimi doloris, patriâ statim excessit, hostique  
Francisco Carolo V. Romanorum Imperatori, sese junxit, & in  
eas angustias, e quibus quamdiu vixit, explicare se nunquam po-  
tuit, Regem conjectit. Nulla vero atrocior contumelia est,  
quam si per probrum attrahentur subditorum uxores, ac per

14 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

libidinem illarum pudicitiae illudatur. Fugere credo neminem, quid Romæ Tarquinis contigerit, (u) *quorum alter ornariſſima femina Lucretia ſtuprum intulifſet*; ejecti ſcilicet tyranni ſunt. (x) Dioclis Atheniensis libido in cauſa fuit ejiciendorum Pistratidarum. (y) Decemviratui finem (quod non absque gravissimō intestinō motu contigit) procuravit Appius Claudius, dum illigitimō amore virginem plebejam prosequitur. Eſſrānis Roderici Hispaniæ Regis libido adeo ad ultionem inflammativit Julianum Tingitanæ Provinciæ præfectum, cuius filiam contumeliā affecerat, ut Mamolinum Saracenum in Hispanias evocaret. Unius itaque intemperantiā primò rebellionem, deinde bellum, ac servitutem multorum ſeculorum nobilissimis Regnī attulit. Quid multis?

(z) Horat. (2) *Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli Cauſa; sed ignotis perierunt mortibus illi.*  
lib. 1. Sat. 3. Si quis mecum jam altius progredi, aliosque contumeliæ gradus considerare velit, ad rebelliones, civilia bella, ac subvertendas Republicas, quam immanitatem & crudelitatem efficacius reperiet nihil. Hominibus quippe vitâ dum sit carius nihil, contra sanguinarios & crudeles tyrannos quô possunt modô ſe tuentur, ac manibus pedibusque ſeverum illud ac tyrannicum jugum excutere conantur: (a) *Omnibus enim hominibus odio eſt inhumana crudelitas: que tametsi ad omnes non perveniat, ii tamen quoque, a quibus illa injuriam abſinet, metuunt, exempla in propinquos, & necessarios ſuos edita ad ſe quoque pertinere, & in ſe veri poſſe exiſtimant.*

(a) Anti-mach. (b) Horat. (b) *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.*  
lib. 3. Theor. 8. (c) *Metus vero earum amittendarum rerum, quas nos primas ducimus, vite, fortunarum aut decoris ingens odium parit: & eorum qua odimus, non tantum excidium optare, sed moliri conſuevimus.*

(d) Cic. (d) *Quem metuunt oderunt: quem quisque odit, periisse expedit.*  
lib. 2. de Off. Hinc fit Tyrannorum Dominatum haud diuturnum esse:

(e) *Violenta nemo Imperia continuit diu:  
Moderata durant*

(c) Senecæ  
Troad.  
Act. 2.

(f) *Tyrannorum quippe execrabilis ac brevis potestas est. Thales interrogatus, τι δύσκαλον εἴη τεθράψις; Γέρωντε, οὐ, τό-  
περνον: Quid difficile vidisset? Tyrannum, inquit, senem. Quid multis? certissimum illud Poëta:*

(f) Sen. 1.  
de Cle-  
ment.

(g) *Ad generum Cereris sine cede, & vulnere pauci  
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.*

(g) Juve-  
nal. Sat. 10.

## X V.

Altera vero injuria subditorum scilicet facultatibus illata, haud minoris est ponderis atque efficacie ad seditiones ac Civilia bella excitanda, quam sævitia ac Immanis crudelitas corpori injuncta: mortalium quippe sanguis est pecunia secundum illud Comici veteris.

*Ταργύνετον ἐξιν δῆμα καὶ φυχὴ βροτοῖς:  
Sanguis hominibus, & anima est pecunia.*

Mirum ergo non est, subditos, omnibus rebus severâ tributorum exactione exutos, ita ut ad vitam nihil amplius jam sit solatii, ad desperationem adigi, nihilque non etiam cum vitæ discrimine amplecti, cum ob justam indignationem, tum ut se se tantis calamitatibus subtrahant. Et sane quod si quis mecum priscas velit intropicere historias vix ex ulla aliâ causâ turbatas, aut mutatas Civitates, quam ex hac inveniet. Antiquam modò (tum temporis totius orbis caput) Romanam Remp. videamus, plerasque seditiones ac Civilia bella in eâ exorta, nullis aliis ex caussis, quam ex immodicis tributorum exactionibus reperiems; hinc subditorum querelas apud Ciceronem videmus (h) *Audivimus* (inquit) nihil aliud, nisi imperata θητεία solvere non posse: *οὐας omnium venditas: Civitatum gemitus, ploratus, monstra quedam non hominis, sed fera, nescio cuius immanis* (i) *Hæc Dalmatas movit ab Imperio Romano recederent, quorum Dux Bato, interroganti Ti-*

(h) lib. 5.  
ad Att.  
Epist. 16.

(i) Dion.  
lib. 55.

berio

16 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

berio, quid ita desicere , ac tantum temporis rebellare Romanis statuissent, respondit : *Vos ipsi estis in culpa , qui ad vestros greges custodiendos non canes pastores ue , sed lupos mittitis.* Unde illa Tiberii vox promanavit: (k) *Boni paſtoris eſt tondere pecus , non deglubere.* Hæc similiter (l) Gallos , (m) Clitarum nationem ac multos alios populos a Romanis alienavit. Eheu! si cum priscis seculis omnes simul deleti fuissent Cleones , qui habent

(k) Suet.  
lib. 3.

(l) Tacit.  
lib. 3. An-  
nal.  
cap. 40.

(m) lib. 6.  
Annal. c.  
41.

*Τὴν χεὶρ ἐν αἰτωλοῖς, τὸ δὲ γένον ἐν Κλωπείσσῳ.  
Manus in Aetolis , seu petitorio , mentem in Clopidum  
Provincia , seu furtis.*

Ac perpetuò in animo & ore est illud Homerici istius Agamemononis :

(n) Hom.  
Iliad. A.

*(n) Εἴ δέ νε μὴ δώσων , ἵνω δέ νευ δύτης ἔλωμαι :  
Ipse quidem eripiam , si tradere forte graventur.*

Proxima huic nostro præcedentia secula, immo hoc nostrum seculum , tot rapinas , tot ædes incensas ac tot hominum innumerabilium strages ; quarum

(o) Virg.  
lib. 2.  
Æneid.

*(o) — Animus meminisse horret , luctuque refugit ,  
non vidisset.*

Vide vel solum Belgium nostrum quam miserè seditionibus atque intestinis bellis concussum atque turbatum fuerit ; cum Dux Albanus Hispaniarum Regis severus minister decimas bonorum tam mobilium quam immobilium a Belgis exigeret, quod cum præstare sine summô rerum suarum dispendio non possent, & tamen ille tyrannicè urgeret , tanto dulcius libertatis nomen siebat eis, in quam tandem fese a Rege deficientes jure meritò vindicarunt. Si Italiam versus mentis nostræ cursum dirigamus, Neapolis nobis occurrit, ubi (anno hujus seculi quadragesimo septimo) quidam ex infima foce pescator nomine Thomas Anjellus , seu ut vulgo vocatur Mafanjello , ab exactoribus vectigalium ob fructus , quos in foro attulerat irritatus, 100000 hominum ad arma concitatavit, ac intra decem dies tantas turbas excitavit, ut similes nulla historia nobis suppedet. Cavete ergo vobis, O supremæ dignitatis viri! subditos

tos vestros nimium ne inquis tributorum exactionibus pre-  
matis, quæ raro Principes ditant, crebro illis sunt exitio, offi-  
cialibus lucro.

## XVI.

Perniciosum mēhercule Reip. vulnus, si subditi oderint Ma-  
gistratus; si contemnāt longè perniciosius: clancularium dum  
odium sit magnōque timore conjunctum; proinde minus au-  
dax: at contemtus, odio modò semel dextram præbuerit, in au-  
sum prorsus relinquit nihil; & efficit, ut, quō plurimum oso-  
res & Reip. turbatores frenantur, metum omnem & terro-  
rem excutiant; immo debitam gubernantibus obedientiam de-  
negent, omnemque prorsus amorem exuant; quibus pedibus  
calcatis, autōritas omnis vilescit, dignitas hebescit, Majestas  
evanescit, quō lethalius Reip. unquam infortunium extitit nul-  
lum: hisce quippe sublatis,

(P) ————— *Subversa jacebit*  
*Pristina Majestas soliorum, & sceptra superba.*

(P) Lucr̄.  
lib. 5.

(q) *Autoritas enim est anima & vita imperi.* Ex op-  
positō inferendo, ejus exitium contemtum dicere non du-  
bitamus: Quippe qui diræ Anarchiæ viam aperit, quæ omni  
tyrannide, omniisque corrupto Reip. statu deterior, ubi ne-  
que lex, neque subditi, neque Magistratus; sed horrenda om-  
nium rerum confusio est, ubi furibunda multorum Capitum  
bellua nutu omnia suo peragit, in ædes irrumpit, suis divites  
fortunis dispoliat, vel aram non nunquam, nec curiam invio-  
latam relinquit: sed omnia devastat & subvertit. O miserri-  
mam Rerump. labem & interitum! O facinorosos & perditos  
homines! qui eam in rem propensi, & Reip. ruinam malunt,  
quam Magistrati debitam præstare submissionem. Sed prius-  
quam huic corruptelæ vale dicimus, paulò altius mente perva-  
gemur, & paucis in contemtus Caussas inquiramus.

(q) Lipf.  
lib. 4. c. 9.  
Polit.

## 18 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

## XVII.

Duplici potissimum ex causa Magistratus contemtum incurunt, vel ex Imperii regimine male habitō, vel ex pravis moribus; cum nimis voluptatum & infaustarum libidinum lenociniis ducuntur, & totos sese comessationibus, temulentia, & omni luxuriarum generi dederunt; vitia in aliis meritō abominanda, nedum in iis a quibus tota Imperii salus dependeat. Criminibus, in quam, hisce obnoxii, contemtu & infamia quam facillimē apud suos flagrant. Obsequi illis posse subditi negant, qui inter potatorum quotidiē & scortorum greges in popinis & lupanaribus, in foro rarissimē conspicuntur. Et profectō quid eō agerent? Nisi eorum, quae noctu fecissent de die testimonia proferre velint. Ut ignavia animalia jacent, otio atque segnitia torpēnt, Remp. negligunt, & insidiabitibus, voluptatibus dum ardeant, permultas invadendi opportunitates præbent, & Custodibus ipsi indigent custodes.

## XVIII.

Maximē quoque ex Imperii regimine malē habitō Magistratus contemtum incurrit. Prīmō scilicet si languida nimis laxā que manu regat Magistratus; uti quando sese effusē dat aurē populari, & subditos nimiam in familiaritatem admittit, ad delicta & scelera connivet. Facit ingenia luxuriare, nec satis decorō amplius in pretiō habere Magistratus: nam ex conversatione aequali, dignitatis nascitur contemtio. (r) Prudenter olim Alexandrum Severum admonuit mater, ne nimiā familiaritate autoritatem suam perderet, & Imperium dissolveret. (s) Et hæc est ratio, quam ob rem Persarum olim Reges hominum conspectui sese subtraherent, scientes, (t) Dicente Livio: *Homines minus, quod quotidianum est revereri, quam quod rarum est,* aut, ut (v) Tacitus: *Majestati majorem ex longinquō reverentiam esse.* Populus quippe, qui antea opinione & splendore

(r) Lamprid. in Alexand.  
(s) Justii lib. 1. c. 9.  
(t) Lib. 24.  
(v) Lib. 1. Annal. cap. 47.

dore Majestatis obstupesceret, horrore & pœnæ formidine in officiō detineretur, in familiaritatem admissus, viliores de Magistratu cogitationes formare incipit, indulgentiā & pœnarum impunitate nil metuens, legum repagula excutit, ipsa sibi rapere gubernacula, & quidvis audere incipit. Nam quis eum, quæso, metuat, ac potius vereatur, <sup>(x) apud quem conditum,</sup> immo <sup>(x) Sen. t.  
de Cle-  
ment.</sup> constrictum ferrum est? Secundò quoque suprema sese Majestas contemtui, & infidiis exponit; cum, uti omnibus ferè in Rebusp. non liberis modò; immo & Monarchicis opinet; ut uni ex aulæ asseclis, dum præsentiam omnibus & singulis rebus impendere nec possit, nec Majestati congruum sit, (quippe plus reverentia ex longinquo,) quidvis non indulget, & splendidis quotidie honoribus eum & dignitatibus cument. Perversa enim opinio hæc & regnantium stolida credulitas. Persuadent sibi amorem ministri fidemque, quem tam gravi & dignitate præ cæteris insigni extollunt, magis sibi habere obstrictam. Verum tam longè abest, quin potius, ut ferunt, equum Trojanum introducant, qui illis certam & præsentem, nisi præveniatur in tempore, ruinam minatur. Nam modicâ dum dignitate gaudeat minister, majorem spectat veneratione omni, manibus pedibusque obnixè demereret favorem & supremi Magistratus amorem desiderabit; ubi vero variis jam artibus, illisis regnantibus, supremum Majestatis fastignum adscendisset, & præter solos Imperii fasces nil ipsi deesset, jam magis magisque cristas erigit, jam Cæsares & Augustos spirat, jam Reip. gravis & Majestati formidabilis fieri incipit, & eversum jam sero, quem extulit, vellet Magistratus, ne ipsum evertat minister. Quod factu facile, dum ipsi in manu tota Imperii vis sit, et muniis transmittendis favorem omnium sibi conciliatum, & conversos dumtaxat in sese oculos habeat. *Solem enim occidentem deserunt plerique & in orientem convertuntur.* Infinita sunt exempla ministorum, (quos vocant status,) nimia potentia dum essent armati, conjuratione Majestatem invadere tentarunt; immo invaserunt. Luculentum exemplum habemus in Sejanō, qui Tiberii animum, nemini hactenus

20 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

penetrabilem, astu & dolō ita irrepit, ut ii duo haberentur tanquam Par amicorum. Certè Tiberius in epistolā quādam ad eum, ita scribit: *hec p̄a amicitia nostrā non occulavī*. Felici ita fidere principis gratiā potitus, cum ad maximos quoque honores jam pateret via, Præfecturam Prætorii delegit: ut armata esset ambitio. In eo vim Imperii sitam esse non ignorans: qui enim *gladio p̄evalidet, optimē de finib⁹ disputat*, inquit ille. Artificiis ita variis, & aulicis technis (quas nimis longum enarrare, nec nostri foret instituti) ad summum Imperii cacumen evectus Sejanus, potentia omnino Tiberio major, domi militiæque omnium animos, honoribus publicis erogans, sibi addictos & oppignoratos habens, insidiis & Conjunctionibus Imperio deturbasset Tiberium; nisi Princeps, ante alios callidus & recocetus, cum se delusum & ad incitas redactum vidisset, dolō prævenisset, & e mediō sustulisset Sejanum.

XIX.

Ad fontem tandem omnium quasi seditionum in Civitate exagitatarum, ac bellorum civilium scaturiginem pervenimus; ad violationem scilicet Privilegiorum bonorum civium. Profecto si cui cum priscas, tum recentiores, immo vel hujus nostri seculi historias pervagari placuerit, nullas frequentiores in Civitate rixas ac bellorum civilium turbas, quam ex violatis subditorum a Magistratu Privilegiis, exortas inveniet. Hinc legimus toties atque audimus Principem suum Tyrannum habere Cives, Cives vero suos Rebelles credere Principem; quæ alteratio mortiferum sanè vulnus infligit consensui Imperantium atque obedientium, (y) anime illi Reip., quā sublatā, societas civilis talis dici vix meretur. In Rep. quippe ubi hæc peraguntur, quam istic amplius exspectes vel Imperii aquitatem, vel obsequii promptitudinem; quibus cœn binis columnis, nititur unicè universa Poliici corporis structura? Motis semel his terminis, ultero citroque plus justo excurrente alterutram partem, non hic adiri potest

*judex.*

(y) Cl.  
Prot. de  
Vries in  
Disp. de  
obseq. &  
Imp.  
Th. I.

judex, qui vel veteres fines auctoritate suā renovet, vel assignatis commodis terminis secundum juris prescriptum controversiam dirimat, alterutrumque ad observantiam compellat. Nil hic prouident Agrarie leges. Ad Accusationem criminalem causa illico deducitur; dum ad arma pars utraque provolat: altera quidem assertura violati, ut autumat, Imperii Majestatem adversus perduelles; altera vero tuitura oppresse, ut opinatur, Libertatis privilegium contra Tyrannum. Et sane si quis rem bene introspectam habeat, vix aliter fieri possit; quin quotidiē rixæ atque lites inter Imperantes atque subditos oboriantur. Illi quippe, ubi vel semel gustavere quam dulce sit imperare hominibus, nisi heroico planè animo inexplebilem Imperii cupiditatem superare nequeant; verum dirā quotidie atque infernali ambitione incitati per fas atque nefas, violatis atque pedibus conculcatis subditorum privilegiis, altius extendere atque erigere Imperii sui Majestatem conantur. Quod si animadvertant subditi violatis privilegiis lædi atque opprimenti libertatem suam, quæ res tam prætiosas, & quibus nihil homini charius esse potest, complectatur; hinc libertatis nomen illis adeo dulce est, ut nunquam majori furore ad arma ruant, quam quoties de libertate illorum agatur. Quidenim Mehercule, amissâ libertate, vita nisi tristis servitus. Hinc illæ voces: *Vivere in libertate, vel ante servitutem mori.* Libertatis dulcedo (ut aliarum gentium funesta atque tragica exempla transeam) movit maiores nostros, sub ductu Gulielmi Auriaci, Bruti Batavi, pro violatâ atque oppressâ libertate, arma assumere adversus potentissimum Regem Hispaniarum; qui tam perfidè Batavorum privilegia violaverat, ac in totum Belgarum libertatem delere conabatur. Sed alter Deo visum fuit, qui voluit nos, sub felicibus auspiciis illustrissimæ Domus Auriacæ, (utinam augustissimæ & nunquam apud nos intermorituræ memorie!) in pristinam libertatem vindicare, in quâ etiamnum vivimus, utinam in æternum vivamus!

## 22 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

## X X.

Hactenus de causis internis Eversionis Civitatum : superest ut paucis, (ne in immensum nostra excrescat Disputatio) de externis agamus, quæ foris afferuntur : ut sunt Defectio sociorum, Irruptio barbarorum, & Infelix tandem bellum.

## X X I.

Extremum Civitati imminere exitium, si socii, qui ex vi  
foederis auxilium ipsi præstare tenebantur, calamitatum impi-  
mis ac bellorum temporibus eam deferant, vel ad hostem defi-  
cient, nemò non videt : facilius quippe de illâ tum hosti est  
victoria. Sensere illud summò cum discrimine (z) Spartani,  
qui a sociis in Leuctricâ pugnâ propter superbiam deserti, in-  
signem illam a Thebanis, Epaminondâ duce, cladem accep-  
(z) Justin.  
lib. 6. c. 4.  
(a) Danœ.  
in Aphoris.  
Polit.  
runt, quâ Sparta quoque ipsa penè concidit. (a) Infamis  
quoque nota inscribitur Hungarîs, quorum IXCIO missi erant a  
Bethleemo in suppeditas statibus Bohemâ ; hi ubi acrius pralium in  
campô Pragensi instaret, non tanum relictis perfide sociis in fu-  
gam, fractis Bohemorum ordinibus, sese conjecere, sed sociorum,  
pro quibus sanguinem evomere debebant, castris exutis, opimis  
cum spoliis prædatores abière. Unde Cæsarianis facilis accessit vic-  
toria.

## X X I I.

Quamplurimas quoque Civitates, testantibus historiis, esse  
devastatas, scimus atque subversas, irruptione Barbarorum, qui,  
vel ob bellorum calamitates, vel soli sterilitatem, vel alia gra-  
viora incommoda, patriis relictis sedibus, ingenti vi alienas in  
Regiones & Regna irruentes, instarque turbinis & procellæ  
obvia quæque corripientes, latèque prosternentes, horrendas  
mutationes & strages Rerum fecrè. Ita Anglo-Saxones mi-  
grantes ex Germaniâ in Britanniam, universam immutarunt  
&

& everterunt. Ita Hunni suis cum sociis, Attilâ duce mundi illô deorumque flagellô, (ut se ipsum vocabat) in Pannioniam, Belgium, Italiam, Germaniam, aliasque Imperii Romani partes irrumptentes horrendum in modum obvia quævis flammâ atque ferrô devastarunt. Sic Gotti, Suevi, Alani, Longobardi, Burgundiones, Turcæ, Tartari, Saraceni, Romani, Græci, Hispani, Batavi, aliique populi, migrationibus suis universum terrarum orbem & innumeratas Resp. vel mutarunt, vel everterunt. Si quis plura de hoc argumentô defideret, Consulat imprimis *Wolfgangum Laxium*, aliosve autores, qui ex professô de gentium migrationibus scripsere.

## X X I I .

Quam multis Civitatibus, quæ vel per annorum millia fecerterant, bellum infeliciter gestum finem imposuit!

(b) Justin.

(b) Videamus vel ipsum Cræsum Lydorum Regem, qui lib. I. c. 7.

omnium mortalium propter suas divitias felicissimum fæc glo-  
riabatur, præliô infeliciter a Cyrô Rege Persarum superatus,  
atque captus, fortunas simul & Regnum amisit. (c) Quid de  
Dariô potentissimô Persarum Rege dicemus? Nonne, bello  
infeliciter adversus Alexandrum Magnum Macedonum Regem  
gesto, tribusque præliis devictus, Imperio simul, ac vitâ spo-  
liatus est? Quid si tragica cætera horrendo illô monstrô bellô  
eversarum Civitatum exempla, quorum infinita ubique ex-  
tant, commemorare velimus, finis nobis decesset. Immo nemo  
nostrum foret, credo, qui non mecum monstrum illud vorax  
bellum, quô patria nostra non multis abhinc annis penè fuis-  
set subversa, detestaretur, & exclamaret illud Poëtæ:

(c) Justin.

(c) lib. II.

(d) Nulla salus bello : pacem te poscimus omnes.

(d) Virgil.

(d) lib. II.

(d) Quæd.

Atque hec de Civitatum Interitu.

# ANNEXA.

I.

**R**eticissime profecto sapientis nomen devitavit Pythagoras; ac Philosophi nomen adoptavit.

II.

Multò quippe plura sunt, que Philosophus debet profiteri se ignorare, quam sunt ea que novit.

III.

Itaque ab arrogantiâ excusari non possunt isti Thrasones; qui vociferantur se omnium effectorum arcanorumque in naturâ hactenus observatorum, etiam occultissimorum & quam maximè admirandorum, per causas faciles, & perspicuas rationem claram & cuivis attendenti manifestam reddere posse.

IV.

**C**orpora dari noëticè notum est.

V.

Duo tantum corporum naturalium principia strictè dicta admittimus, Materiam scilicet & formam.

VI.

**M**ateria in Physicis informis non datur, nisi conceptus.

VII.

**M**undum immediatè ex nihilo creatum esse, Philosophus qua talis non potest cognoscere.

VIII.

**F**ide dumtaxat tenemus mundum hunc esse unicum.

IX.

**R**atione id naturali nullò modò demonstrari potest.

X. Plures

X.

*Plures igitur; immò vel millenos posse dari mundos autumam.*

X I.

*Ethica disciplina distincta est a Theologia.*

X II.

*Theologie tamen non adversatur.*

X III.

*Non sunt fortes, qui sibi ipsis desperatione quadam violentas manus inferunt.*

X IV.

*Nec illi, qui peritiā artis gladiatorie nitentes, alium minus peritum aggrediantur.*

X V.

*Vir fortis non vacat omni metu; & hinc audaces non sunt fortes.*

X VI.

*Quer. An nautae pulverem pyreum incendentes inter duces numerandi sint? Aff.*

X VII.

*An bellum Christiano Magistratui gerere liceat? Aff.*

X VIII.

*An captivo liceat ex captivitate aufugere? Aff.*

X IX.

*Reip. origo non est derivanda a mutuo metu.*

X X.

*Vinculum Reip., est mutuus ac invictus imperantium & obedientium consensus.*

X XI.

*Firmissimum Reip. fulcrum ut vera Religio est, ita Papistica Reip. maxime perniciosa existit; cum non tantum bonos cives facere non possit, sed & malos faciat.*

XXII.

X X I I.

*Politicus Practicus longè preferendus est Theoretico.*

X X I I I.

Quaestio illa quenam sit optima regiminis forma, in genere ita pro-  
posita, inutilis est, & Politico prorsus indigna.

X X I V.

*In Rep. bene constitutâ leges obtinere debent.*

X X V.

*Salus populi summa lex est.*

X X V I.

*Hinc sequitur jus Dominationis esse licitum.*

X X V I I.

*An Majestas sit legibus soluta? dist.*

X X V I I I.

Quar. An verbis crimen lese Majestatis committi possit? dist.

X X I X.

Quar. An Tyrannus imperio possit spoliari? Aff.

X X X.

*Subditus Magistratui, contra Legem divinam, vel nature man-  
danti, non tenetur obedire.*

X X X I.

*Nec Asyla, scelerorum refugia, nec Hispanaria in Rep. bene con-  
stituta sunt toleranda.*

X X X I I.

*Omnes mutationes Rerump., sunt periculi plenissima.*

F I N I S.